

Placuit nobis remanere Athenis, soli. Maluimus soli remanere, quam nescire quid ageretur.

Et misimus Timotheum fratrem nostrum. Queritur quomodo Timotheus missus est: sed prius id dictum est.

Et ministrum Dei in Evangelio Christi. Adjuutores pro discipulis etiam vulgo dicuntur.

Ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra. Pro hac causa duntaxat: quia perfecte credidistis.

Ut nemo moveatur in tribulationibus istis. Non dico: ne omnes, sed ne vel aliquis moveatur.

Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus. Non ergo mirari debetis, scientes nos aliter transire non posse, dicente Domino: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et iterum: Ecce dixi vobis ut in me pacem habeatis: in hoc autem seculo pressuram.

Nam & cum apud vos essemus, praecebamus vobis passuros nos tribulationes: sicut & factum est, & scitis. Ne vos ipsa novitas detereretur, sed magis prophetia nostra confirmaret: sicut & Dominus passurum se ante prae-dixit.

Propterea & ego amplius non sustinens, nisi ad cognoscendum fidem vestram, ne forte tentaverit vos. Dicens: Ecce in quibus putatis Deum esse, qualia patiantur: & fidem vestram forsitan commoveret.

Is qui tentat. Sicut Job a Domino probatur. Et inanis fiat labor noster. Si aliquem scrupulum patiemini. Notandum doctrinam, dici laborem.

Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annunciantem nobis fidem & charitatem vestram: & quia memoriam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos videre, sicut & nos quoque & vos. Quia firmiter Christo credentes, tenetis fidem: & nos solita dilectione diligitis.

Ideo consolati sumus, fratres, in vobis in omni necessitate & tribulatione nostra per fidem vestram. Omnem necessitatem & tribulationem non sentimus, praeter magnitudine gaudii status vestri.

Quoniam nunc vivimus, si vos statis in Domino. Etiam si occidamur, vivimus: quia vita nostra in vestra firmitate consistit.

Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio quo gaudemus propter vos ante Dominum Deum nostrum. Triplicem laetitiam causam nobis vestra conversatio praestat: quia & vos proficitis, & Dominus per vos benedicitur, & aliis praebet exemplum.

Nocte ac die abundantius orantes, ut videamus faciem vestram. Ostendit quantum aliis desiderandi sint fratribus, quos tantum ipse desiderat: Quis enim cum famam peperit, videre non cupiat?

Et compleamus ea quae desunt fidei vestrae. Si quid fides vestra minus habet doctrinae.

Ipsae autem Deus & Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat viam nostram ad vos. Remotis diaboli scandalis, quibus noster impeditur ad vos adventum.

Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem vestram. Quia iam plena & opere comprobata est.

In invicem & in omnes. Ut non solum Christianos, sed etiam omnis saeculae homines: non erotis, sed naturae gratia diligitis: & eis in quo indigerint, misericordiam quam illis in praesenti Deus exhibet, non negetis.

Quemadmodum & nos in vobis ad confirmandam corda vestra. Fecit abundare, ut & vos aliorum corda firmetis.

Sine querela in sanctitate ante Deum & patrem nostrum, in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus sanctis eius. Amen. Non ante homines, sicut de Zacharia, & Elizabeth. Et per Isaiaam: & vos eritis mihi iusti, dicit Dominus.

Caput I V.

De cetero ergo fratres. Post laudem & consolationem, incipit exhortatio.

Rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu: ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo: sic & ambuletis, ut abundetis magis. Quibus via Christus est, dignis eo gressibus ambulate: quia cum aetate fides augetur debet & mores: sicut cum aetate carnis, & cibus crescit & studium.

Scitis enim quae praecepta dederim vobis per Dominum Iesum. Haec est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut ab-

negetis vos a fornicatione. Sanctificatio ab omni incontinentia revocat Christianum, cui incontinenti non expedit sanctum Christi corpus attingere: maxime cum Moyses Judaeos sanctificare volens, populum totum ab omni foemina se continere praecipit, ut Dei potiri praesentia mererentur.

Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore. Suum corpus unusquisque castum servando sanctificet & honoret. Simul considerandum: quia eis tanquam perfectis, non sicut Corinthiis scribit infirmis.

Non in passione desiderii, sicut & gentes quae ignorant Deum. Ne nimiae & immoderate libidini fervientes, similes gentibus fiat: quae Deum amatorem castitatis ignorant.

Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum. Ne quis post devotam continentiam & consensum, fratri suo aliquam circumventionem vi circumferre nitatur, sive in quolibet negotio, ne quis alterum fraudet.

Quoniam vindex est Dominus de his omnibus: sicut prae-diximus vobis, & restituti sumus. Non solum de fornicatione & publica turpitudine, sed etiam de transgressione propositi. Quisquis enim continentiam Deo voverit, fecit sibi illicitum quod licebat.

Non enim vocavit nos Deus in immunditia. Quae corpus Christi audenter non permittit accipi.

Sed in sanctificationem. Ut exemplo Christi vivatis. Qui enim habet spem hanc in eum, sanctificat se, sicut & ille sanctus est.

Itaque qui haec spernit: non hominem spernit, sed Deum: qui etiam dedit spiritum suum sanctum in vobis. Non me, sed eum qui in me loquitur Christum: cuius spiritui injuriam facit omnis qui non sancte versatur.

De charitate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis. Videte quam perfecti erant, qui de tanto & tam necessario praepcepto, non indigebant admoneri.

Ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem. Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. A Christo, qui dixit: Mandatum novum do vobis. Hoc novum est, ut pro alterutro moriamur: quia hoc vetus non suum erat testamentum.

Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis & operam detis. Hoc est, ut iam ignotos quosque diligatis.

Ut quieti sitis: & ut vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris: sicut praecipimus vobis. Quidam inquiete per diversorum discurrebant domus: aliqua etiam ad religionis opprobrium postulantes ab infidelibus: quamquam ad eos in secunda plenius exequitur. Unde magis vult eos, vel proprii negotii cura, vel labore manuum occupari, quam otiositatis detrimentum, & inquietudinis habere peccatum.

Ut & honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis. Ne vos ipsi denotent qui praestare videntur.

Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus. Dormit enim quem certum est surrecturum, sicut dictum est in evangelio de Lazaro.

Ut non contristemini, sicut & ceteri qui spem non habent. Aliter debet fieri qui peregrum pergit, aliter ille qui moritur.

Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit. Si ea credimus quae non videmus: & per ejus resurrectionem certi sumus nos veniam consecutos: cur illud similiter non credamus, quod gentes qui vident Deo non credunt?

Ita & Deus eos qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Qui caput suscitavit: etiam cetera membra suscitaturum se promittit.

Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini. Ex Evangelii sententia.

Quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini. Semper Apostolus diem Domini fecit habere suspectum, quasi eos in corpore inveniret.

Non praeviemus eos qui dormierunt. Tam velox erit eorum resurrectio, quam nostra assumptio.

Quoniam ipse Dominus in Iesu, & in voce Archangeli. Terrorem illius diei monstrat, quo omnis potestas caeli, & elementa movenda sunt: ut nos sciamus quali conscientia diem Domini expectemus.

Et in tuba Dei descendet de caelo. Si ad hominis tubam terra videtur permoveri, quanto magis ad Dei: sicut Elias

quoque terribilem in monte Domini vidit adventum.

Et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquamur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. Qui in Christo mortui fuerint, resurgent primo: & qui vivi inventi fuerint sancti, cum ipsis pariter rapiuntur: qui non judicabuntur, sed potius judicabuntur.

Et sic semper cum Domino erimus. In eadem gloria aeternitatis.

Itaque consolamini invicem in verbis istis. Notandum quod laetis hoc praecipit, ut alterutrum se doctrinis instruant.

Caput V.

De temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis. Evidentissima Evangelii lectione edocti.

Quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet. Quando omnes sciet dormire securos.

Cum enim dixerint, pax & securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus. Tunc maxime timenda est poena, quam nunc non expectant.

Sicut dolor in utero habentis, & non effugiet. Sicut mulier veniente partu, dolores non effugit.

Vos autem, fratres, non estis in tenebris: ut vos dies ille tanquam fur comprehendat. Non estis adeo ignorantes, ut nesciatis vos semper paratos esse debere.

Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei. Scientiae veritatis.

Non sumus noctis, neque tenebrarum. Quia sicut tenebrae, ita & ignorantia dat fiduciam delinquendi.

Igitur non dormiamus, sicut & ceteri. Qui sic dormiunt, etiam oblitii sunt sui.

Sed vigilemus, & sobrii simus. Attendite vobis ne graventur corda vestra in crapula, & in ebrietate, & curis hujus vitae: ergo & curae inebriant mentem.

Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Ideo otiosi & ebrii sunt, quia in tenebris sunt.

Nos autem qui diei sumus, sobrii simus. Nos qui diem Christum habemus, nec otiosi, nec ebrii esse debemus.

Induiti loriceam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis. Fide & charitate, & iustitia omnia constant, quas & loricae alibi comparavit.

Quoniam non pssuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Iesum Christum. In ira sunt positi: quia iam iudicati sunt.

Qui mortuus est pro nobis. Ut nos non moreremur.

Ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Ut sive in corpore, sive extra corpus inveniamur, semper cum ipso vivamus.

Propter quod consolamini invicem, & edificate alterutrum, sicut & facitis. Notandum quia hoc laicis praecipit: quos etiam monet, ut studeant exhibere officia charitatis.

Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos. Ut intelligatis laborem eorum.

Et praesunt vobis in Domino, & movent vos. Exemplo iustitiae, non potestate terrena, sicut ait Petrus.

Ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum: & pacem habetis cum eis. Presbyteri qui laborant in verbo, dupliciter honorandi sunt, id est, charitatis obsequio, & ordinis dignitate.

Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes. Pro diversitate morborum, diversitas adhibenda est medicinae. Illi corripendi, ne pereant: isti consolandi sunt ne deficiant.

Suscipite infirmos. Sustinete nuper credentes, qui nondum sunt confirmati.

Patientes estote ad omnes. Etiam ad correptos: quia impatientes non corrigitur, sed irritatur.

Videte ne quis malum pro malo alicui reddat. Omni diligentia cave, ne cui infirmiori (ut ignarus) vel vicem mali reddas: quia ultra aliquem id facere non credo. Omnis enim qui injuriam facit, male facit: & qui vicem injuriae reddit, injuriam facit, & male facit: quia ut superius dictum est: omnis qui facit injuriam, male facit.

Sed semper quod bonum est sectamini in invicem, & in omnes. Non solum in vos Christianos, sed etiam in omnes homines.

Semper gaudete. In conscientiae puritate.

Sine intermissione orate. Si jugiter non potes lingua, saltem corde, sicut Moyse tacenti dicitur: quid clamas ad me? Sive omnis actus vester talis sit, ut pro vobis semper Deum oret.

In omnibus gratias agite. In omnibus quae acciderint, sicut Job: sive, in omni conversatione vestra Domino gratiae referantur.

Haec est enim voluntas Dei in Christo Iesu, in omnibus vobis. Sicut in Christo per omnia impleta est, ita & in vobis omnibus impleatur.

Spiritum nolite extinguere. Spiritum exhortationis, quaestionibus nolite extinguere. Sive spiritum pro gratia linguarum posuit, sicut ait: Si oravero lingua, spiritus meus orat: quomodo etiam ad Corinthios dicit: Et loqui linguis nolite prohibere, ita & hic spiritum non extinguendum esse testatur.

Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est, tenete: ab omni specie mala abstinete vos. Sive futura praedicentes, sive praeterita differentes: tantum, ut probetis, si legi non sunt contraria quae dicuntur: si quid tale fuerit, refutate.

Ipsae autem Deus pacis. Qui omnia sustinet, etiam blasphemantes.

Sanctificet vos per omnia. Sive gratia, sive doctrina.

Ut integer spiritus vester, & anima, & corpus. Gratia spiritus quamvis in se semper integra sit: non tamen in nobis integra, nisi ab integris habeatur.

Sine querela in adventu Domini nostri Iesu Christi servetur. Utque in diem iudicii: quia non sunt tantum initia laudanda, sed finis.

Fidelis est qui vocavit vos. Qui dixit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam.

Qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. Salutate fratres omnes in osculo sancto. Quod promisit.

Adjuro per Dominum, ut legatur Epistola hac omnibus sanctis fratribus. Adjurare permittitur non jurare.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vobiscum: Amen. Gratia cum omnibus perseveret.

Explicit Commentarius in primam Epistolam ad Thessalonicenses.

COMMENTARI

IN SECUNDAM EPISTOLAM

AD THESSALONICENSES

Caput I.

PAULUS, & Silvanus, & Timotheus, Ecclesia Thessalonicensium in Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Gratia vobis & pax a Deo Patre & Domino Iesu Christo. Gratias agere debemus semper Deo pro vobis fratres, ita ut dignum est. Qui sibi talem Ecclesiam conquirit.

Quoniam supercrevit fides vestra. Ideo laus augetur.

Et abundat charitas uniuscuiusque vestrum in invicem: ita ut & nos ipsi in vobis gloriamur in Ecclesiis Dei. Intantum proficitis: ut non solum alii vos inferiores quique collaudent, sed etiam nos ipsi vos praefereamus, omnibus imitandos.

Pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus. Nisi futura crederetis, ista minime sufferere velletis.

Quas sustinetis in exemplum iusti iudicii Dei. Ut exemplum detis, iustum Dei iudicium expectandi: quem ita creditis esse venturum.

Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Hi digni sunt regno Dei, qui gloriam ei tribuerunt: scientes nullam passionem esse condignam.

Si tamen iustum est apud Deum retribuere tribulationem his qui vos tribulant. Hic, si tamen, confirmantis sermo est, non dubitantis: quasi dicat: si tamen foris potest iudi-

care iustitia : quod iustum est : nam sicut indubitanter pro nomine Domini patientibus requiem : ita incunctanter tribulationem his qui eos tribulant repromisit.

Et vobis qui tribulamini , requiem nobiscum. Quia nobis compatimini.

In revelationem Domini Jesu de caelo cum angelis virtutis ejus. Qui venient vindicare.

In flamma ignis, dantis vindictam. Si potuit flamma Dei imperio tres pueros omnino non tangere : quare non eadem potentia aliis saevior , aliis mitior esse credatur ? Hoc contra eos propterea quod poenam conscientiae somniantur : quia hoc illis impossibile videbatur.

His qui non noverunt Deum : & qui non obedunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Non solum qui non noverunt , sed etiam qui non obaudiunt Evangelii disciplinis.

Qui poenas dabunt in interitu aeternus. Poenas in eo qui patitur , non potest dici.

A facie Domini , & a gloria virtutis ejus. A iusti conceptu , sententiam damnationis accipiant.

Cum venerit glorificari in sanctis suis. Ipse in suis glorificandus est membris, quae solis splendore fulgebunt.

Et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Mirabuntur impii , & irrifores humilitatis , in subitatione salutis in sperata iustorum.

Quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. Quia multi in die illo , nostro testimonio creditis.

In quo etiam oramus semper pro vobis , ut dignetur vos sua vocatione Deus nosse. Ut digni inveniamini ad id quod vocati estis : quia priores invitati , non erant digni.

Et impleat omnem voluntatem bonitatis suae , & opus fidei in virtute. Adjutoriae gratiae , & consolatione scientiae virtutum , quae opus sunt fidei.

Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis , & vos in illo. Et ut Christi nomen in vestris actibus clarum sit , & vos in eius signis , & virtutibus gloriosi.

Secundum gratiam Dei nostri , & Domini Jesu Christi. Expetit a nobis quod possumus : ut quod non possumus , largiatur.

Caput I.

ROGAMUS autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi. Quo vobis charius nihil esse sum certus.

Et nostrae congregationis in ipsum. Quando a quatuor ventis caeli congregabuntur electi : ut ubi fuerit corpus , illic concurrerent & Aquilae.

Ut non cito moveamini a vestro sensu , neque terreamini. Perfacilis est qui de Domini adventu contra Evangelicam sententiam commoveatur.

Neque per spiritum , neque per sermonem. Ne signa vos terreat : quasi per spiritum facta : quia & hoc Salvator ante praemonuit : nec sermo dialecticae vos seducat.

Neque per Epistolam tanquam per nos missam. Poterant & hoc diabolica excogitare versutia , sicut in multis apocryphis apparet , quae ad fidem perfidiae faciendam , Apostolorum nomine intitulantur.

Quasi inisset dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo. Diccens : hic Christus , ecce illic.

Quoniam nisi venerit discessio primum. Nisi antichristus venerit , non veniet Christus. Quod autem discessionem hic dicit : alibi refugam appellavit. In Latinis ex exemplaribus utrumque ita intelligendum est , quod nisi veherit refuga veritatis , sive sui principatus defertor , sive discessio gentium a regno Romano , sicut in Daniele per bestiae imaginem dicitur.

Et revelatus fuerit homo peccati. Diabolus scilicet.

Filius perditionis. Quia eum quasi sibi natum , servitio possidebit : qui secundum Isaiam conturbare dicitur gentes.

Qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus , aut quod colitur : ita ut in templo Dei sedeat , ostendens se tanquam sit Deus. Supra omnem potentiam : & aeternitatem se iactabit : ut sacramenta culturae , corrigere vel augere se dicat : & templum Jerusalem reficere tentabit , omnesque legis ceremonias restaurare : tantum ut veritatis Christi Evangelium solvat : quae res Judaeis eum pro Christo suscipere suadebit , in suo non Dei nomine venientem.

Non retinetis quod cum adhuc essem apud vos , haec dice-

bam vobis. Et nunc quid detineat scitis. Hoc est , quae mora est , ut non veniat.

Ut reveletur in suo tempore. Quod tempus nondum advenit.

Nam mysterium jam operatur iniquitatis. In his qui falsis doctrinis ejus , praevium faciunt iter : quos beatus Joannes in mundum dicit exisse.

Tantum ut qui tenet nunc , teneat : donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus. Donec regnum quod nunc tenet , de medio auferatur , prius quam antichristus reveletur.

Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Caeseli imperio vel solo.

Et destruet illustrationem adventus sui. Quia sicut fulgur ubique coruscabit in mundo , solutis commotisque elementis per ignem.

Eum cuius est adventus secundum operationem satanae in omni virtute , & signis & prodigiis mendacibus : & in omni seductione iniquitatis , his qui pereunt. Sicut ante praedixit : dabunt signa , ut seducant , si fieri potest etiam electos per phantasia simulationemque virtutum : sicut James & Mambre coram Pharaone fecerunt.

Et quod veritatis charitatem non receperunt , ut salvi fierent. Ideo mittit illis Deus operationem erroris , ut credant mendacio. Permittit venire : nam si Deus mittit non est operatio satanae.

Ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati , sed consenserunt iniquitati. Non se propter incarnationis Christi obcuritatem excusent : divinis non creditur virtutibus : cum homini crediderint , diabolica arte fallente.

Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti a Deo. Quia charitatem recepimus veritatis : & propter hoc nos diligit Deus.

Quod elegerit nos Deus primitias in salutem in sanctificatione spiritus , & in fide veritatis. Vident paratos ad credendum , sicut & alibi , recumbenti a viro Macedone revelatum est.

In qua & vocavit vos per Evangelium nostrum in acquisitionem gloriae Domini nostri Jesu Christi. Ad hoc vocati sumus , ut Christi gloriam acquiramus : Scimus enim quoniam cum apparuerit , similes ei erimus.

Itaque fratres stare. In fide veritatis immobiles. Et tenere traditiones quas didicistis , sive per sermonem , sive per Epistolam nostram. Quando sua vult teneri , non vult extranea superaddi. Apostolica autem traditio est , quae in toto mundo praecatur : ut baptismi sacramenta.

Ipsae autem Domini nostri Jesu Christi , & Dei , & Patris nostri qui dilexit nos. Etiam si non meriti fuimus. Contra Arium facit , qui Deo majorem patrem putat : quia prior soleat nominari.

Et dedit consolationem aeternam , & spem bonam in gratia. Promissionem , sive spiritum consolatorem , qui Græcè παρακλητός appellatur. Potest esse & spes mala in gratia.

Exhortetur corda vestra , & confirmet. Virtutibus & revelatione.

In omni opere & sermone bono. Prius opere , & postea sermone.

Capitulum II.

DE cetero fratres orate pro nobis. Dat humilitatis exemplum , & occasionem charitatis : ut pro alterutro audacius exoremus. Simul notandum in quibus causis orare poscat Apostolus.

Ut sermo Dei currat & clarificetur , sicut & apud vos. Currat , affluentia ; magnificentur , auditorum profectus.

Et ut liberemur ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium est fides. Non omnes credunt , ideo contradicunt.

Fidelis autem Deus est. Quia non relinquit , nisi relinquentes se.

Qui confirmabit vos & custodiet a malo. In fide , per doctrinam & gratiam.

Confidimus autem de vobis , fratres in Domino : quoniam quaecumque precipimus , & facitis & facietis. Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei , & patientia Christi. Revelando quanta sint , quae amoris sui causa contumelias patientibus promissit.

Denunciamas autem vobis , fratres , in nomine Domini nostri Jesu Christi : ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè , & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Quia in prima lenius commonuimus : & emendare se noluerunt. Vel hoc modo , quod sancti se ab eis separant erubescant. Hujus planè loci autoritate subtrahendum est ab omni Christiano , qui non secundum Apostoli incedit praecepta.

Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos , quoniam non inquieti fuimus inter vos : neque gratis panem manducavimus ab aliquo , sed in labore & fatigatione , nocte ac die operantes : ne quem vestrum gravaremus. Qui sumus forma credentium.

Non quasi non habuerimus potestatem. Quia dignus est operarius mercede sua.

Sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Ne cui occasionem avaritiae , quae fons est inquietudinis praeberemus.

Nam & cum essem apud vos , haec denunciamas vobis. Quia praevidemus aliquos tales esse futuros.

Quoniam si quis non vult operari. Aut sedeat quieti , aut si veri sunt Apostoli , nos sequantur : si non avaritiae , sed Dei causa ambulare se dicunt.

Nec manducet. Haec sit inquietudinis non solum poena , sed etiam emendatio.

Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè : nihil operantes. Reddit superioris sententiae causas , ad quos le-

gitimè debeat pertinere : scilicet ad inquietè ambulantes , non ad quietè sedentes.

Sed curiosè agentes. Inquirentes quid in unaquaque civitate , vel provincia geratur , & domo.

His autem qui ejusmodi sunt , denunciamus & obsecramus in Domino Jesu Christo. Non ipsos post alteram correctionem definit commonere.

Ut cum silentio operantes , suum panem manducet. Non cum inquietudine alienum.

Vos autem fratres nolite deficere beneficientes. Non omnibus sed talibus dari prohibeo : ne putetis me boni operis consuetudinem amputare.

Quod si quis non obedierit verbo nostro , per Epistolam hanc notate : & non commisciamini cum illo. Si quis terri noluerit emendari.

Ut confundatur. Non ut penitus abscindatur.

Et nolite quasi inimicum existimare , sed corripite ut fratrem. Corripite , ut emendetur : & nolite abscindere , ut desperet. Eger curandus est , non necandus : ne in apostasiam inquietudo vertatur.

Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli , quod est signum in omni Epistola , ita scribo : Gratia Domini nostri Jesu Christi , cum omnibus vobis : Amen. His verbis omnes Epistolas subscribat , excepta Galatarum , quam ex integro manu propria percripsit : ut post eam nec sibi , nec angelo crederetur.

Explicit Commentarius in secundam Epistolam ad Thessalonicenses.

COM M E N T A R I I
IN PRIMAM EPISTOLAM
AD TIMOTHEUM

Caput I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi. Autoritas & nominis & officii praenotatur , propter eos quibus erat respondentus.

Secundum imperium Dei Salvatoris nostri , & Christi Jesu spei nostrae. Non secundum meam praesumptionem : simul & patris , & filii unum imperium demonstratur.

Timotheo dilecto filio in fide. In fide filio , non in carne.

Gratia & misericordia . & pax a Deo Patre & Christo Jesu Domino nostro. Gratis misericordiam consecuti , reconciliati sumus Deo.

Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi , cum irem in Macedonia : ut denunciare quibusdam , ne aliter docerent. Quibus in actibus praedixerat intratuos lupos qui gregi non parcerent.

Neque intenderent fabulis. Quas Deuteroseis appellant. Unde in Evangelio , docentes doctrinas hominum condemnantur.

Et genealogis interminatis. Generationibus antiquorum : in quibus sibi summam scientiam vendicant , si omnes ab initio generationes enumerent.

Quae quaestiones praesunt magis quam adificationem Dei , quae est in fide. Tam veteres contrarietates , quam generationum sollicitudines superfluas.

Finis autem precepti est charitas de corde puro. Charitas Dei & proximi , in qua tota lex pendet , & Propheta : haec si de corde puro sit , difficile delinquere poterimus.

Et conscientia bona. Ut conscientia tua testimonium perhibeat veritati.

Et fide non ficta. Fides enim ficta est , quae solo ore promittitur , & actu negatur.

A quibus quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium , volentes esse legis doctores : non intelligentes , ne-

que quae loquuntur , neque de quibus affirmant. Infinitae stultitiae est , non intellecta , de magis non intellectata velle firmare.

Scimus autem quia bona est lex. Ut a Deo promulgata est. pro qualitate temporis : sicut alibi lex sancta est appellata.

Si quis ea legitime utatur. Si quis sciat quibus , quare , quamdiu habenda sit data.

Scientes hoc , quia lex iusto non est posita. Ergo Christianis non opus est , qui sunt iustificati per Christum : qui didicerunt etiam occasiones fugere delictorum : nam ut quid dicitur : Non occides : quibus irasci non permittitur.

Sed iniustus & non subditis, impiis & peccatoribus, coelestis & contaminatis, patricidis, matricidis, & homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus & perjuris. Illis omnibus data est : quos abjectis criminibus nititur revocare.

Et si quid aliud sane doctrinae adversatur , quae est secundum Evangelium. Sunt ergo doctrinae non sanae : contra quas etiam data lex est , quae contrariae sunt caelestibus institutis. Quid ergo ibi quaerunt , quod hic non habent ? simul & legem Evangelii concordare demonstrat.

Gloriae beati Dei. Per quam glorificatur Deus.

Quod creditum est tibi. Ne dicerent adversarii : quis erat ille , cui Evangelium crederetur , ait :

Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro. Cum essem inutilis & infirmus.

Quia fidelem me existimavit ponens in ministerio. Qui prius blasphemus fui , & persecutor , & contumeliosus. Iustus in primordio accusator fui est : ut statim cum caperit , adversarius confundatur.

Sed misericordiam Dei consecutus sum : quia ignorans feci. Levius esse peccatum ignorantiae demonstratur.

In incredulitate. Quia non credens , intelligere non volebam.